



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 7. Ecclesia Græca.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII.  
A. C. 1289.

§. VII.

*Ecclesia Græca.*

*Pachym.*  
l. 8. n. 2.

8. 12.

Postquam Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus suo muneri longam salutem dixerat, Imperator Andronicus scriptum ejus excutiendum liberius curavit, ut videret, an hoc corrigi posset. Convocavit sæpius doctos hanc ob causam: & tandem decretum fuit, ut explicatio verborum S. Joannis Damasceni refecaretur. Interea Imperator identidem studebat conciliare partes diffidentes, præcipue Arsenitas, qui etiam ipsi inter se discrepabant, ita, ut plerique Joannem Tarchaniotam sequerentur. Hi reliquis exprobrare postulatum ignis experimentum; id non ignorantiam modo, sed impietatem dicere; illos appellare cultores ignis; se ab eis disjungere; ac ne loqui quidem cum eis velle. Proinde Imperator Joannem cuidam castro incluserat. Sed vacante tum sede patriarchali Constantinopolim revocato magnam libertatem dedit, sic eum ad concordiam reductum iri sperans. Quin etiam Athanasium Patriarcham Alexandrinum, quem ille magni esse sibi perhibebat, eam ad rem adhibuit. Sed pertinacem rursus carceri addixit iratior quam antea.

Postea

Postea Hyacinthum flexurus pulcher-  
rimo donavit equo; sæpe ad alloquium  
admisit; & pro pluribus aliis orantem  
damnavit voti. At homo callidus illi

Sæcul. XIII.  
A. C. 1289.

bellas aliquamdiu spes faciens, diem du-  
cebat ex die, atque chimærica profere-  
bat. Denique cunctos Imperator ipsorum  
contumaciæ reliquit, & cum Senatu ac  
Episcopis statuit Patriarcham eligere, vi-  
rum tanto dignum fastigio exquirens.  
Tres more solito proponebantur; primus  
erat Gennadius, qui Justinianæ Primæ  
(Achridus hodie dicitur) Archiepiscopus  
consecratus, cum ibi per tempus aliquod  
mansisset, dignitatem suam missam fece-  
rat. Alter fuit Jacobus Abbas montis  
Athi vir piissimus & a simplicitate mo-  
rum commendandus. Tertius erat A-  
thanasius anachoreta prope Adrianopo-  
lim natus, qui montibus Gani in Thra-  
cia immorabatur alias, sed tunc Constan-  
tinopoli agebat, quia eunuchus Eonopo-  
lita ejus notitiam dederat Imperatori,  
qui magnam ejus existimationem conce-  
perat. Gennadius patriarchatum renuit,  
quamvis acriter urgeretur, ut acciperet.  
Jacobus Athanasius præferebatur: qui &  
ipse repugnabat primum; sed tandem  
cedere videbatur violentiæ sibi ab Impe-  
ratore & Concilio illatæ.

c. 13.

§. VIII.